This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

61
73.10
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
Digitized by Google

1.10

C 61.73.10

VE RI TAS

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE LIBRARY OF
KONRAD VON MAVRER
OF MVNICH

THE GIFT OF
ARCHIBALD CARY COOLIDGE
— CLASS OF 1887 —
ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY
1904

J.W.Spenceley 1904

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3540

DE

GREGORII VII. REGISTRO

EMENDANDO

SCRIPSIT

GUILIELMUS GIESEBRECHT
PROFESSOR P. O. REGIOMONTANUS.

BRUNSVIGAE
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.
(M. BRUHN.)
1858.

Digitized by Google

C 61.73.10

Harvard College Library
Von Maurer Collection
Gift of A. C. Coolidge
July 18, 1904

K. Maurer.

3540

Digitized by Google

I.

Ingens est nomen Gregorii VII. in annalibus et sacris et profanis. Nam in tanta serie pontificum Romanorum vix alius quisquam repertus est, qui commutata universae ecclesiae conditione statuque regnorum vehementer concusso magis genus humanum usque ad novissima tempora commoverit ac perturbaverit. Minime igitur mirandum est, quod de ingenio et consiliis singularis illius viri alius aliter sentire solet, quod multis placent, quae a pluribus improbantur, quod vel prudentissimos homines, cum de Hildebrando sententia ferenda est, in contrarias partes discedere videmus. Neque crediderim, fore ut unquam de eo idem omnes communi sententia statuant, cum eam controversiam, quam de finibus inter ecclesiam et rempublicam constituendis quondam intulit, etiamnunc agi videamus non sine magna animorum irritatione.

Verumtamen id mihi non solum admirationem, sed indignationem quandam movet, quod plerique de Gregorii consiliis disputant quasi de rebus crassis tenebris circumfusis, de quibus vix quidquam certius et sciri et dici possit; quamquam facta eius nemini non nota sunt, et ipse, quid spectaverit, ingenua animi simplicitate quam apertissime omnibus hominibus declaravit. Exstant enim commentarii eius et epistolae permultae, in quibus ipse totam rationem

Digitized by Google

consiliorum suorum posteritati mandavit, eamque non extremis tantum lineis designatam, sed plenam omnibusque partibus absolutam. Itaque uberrima praesidia, modo ne ignavia obstet, minime desunt ad veritatem cognoscendam, eaque praesidia non in tabulariis inclusa latent, sed iam dudum foras edita sunt, ut unicuique ad ea aditus parvo negotio pateat.

Praeter epistolas Gregorii VII., quae per multos diversosque libros disiectae sunt, singularem habemus atque amplam litterarum, constitutionum, tabularum aliorumque commentariorum eius collectionem, cuius potissimum hoc loco ratio habenda erit. Gregorii VII. *Registrum* vocant. Verum ab illo registro, quod publica auctoritate in curia Romana a cancellariis sedis apostolicae rerum administrandarum causa iam illa aetate conficiebatur, hoc probe dignosci oportet. Nec enim quidquam aliud est, nisi privata quaedam collectio a nescio quo condita, ut magnum Gregorii nomen posteris commendaretur. Quod quidem opus, quamquam publica auctoritate vix unquam fuit, tamen non modo permagnam utilitatem praebet, sed etiam omni fide dignum videtur. Nam, nisi valde opinio me fefellit, qui id disposuit, usque ad librum octavum publico illo registro apostolicae cancellariae [1]) usus, quaecunque ipsi notabilia visa erant, inde decerpsit, eodemque fere ordine, quo illic invenerat, in suum librum transcribenda curavit [2]). Tum demum in extremis partibus collectionis, optimo illo praesidio destitutus, quae fors et fortuna a diversis locis ei obtulerant, sine certo ordine et

1) Gregorius ipse registri sui mentionem facit Lib. VII. ep. 16. et Lib. IX. ep. 31. Cf. Lib. V. ep. 7. et Lib. VI. ep. 24.

2) Num etiam in tertio libro adornando auctori Registri nostri publicum registrum ad manum fuerit, haesito, cum insigni modo in hoc libro ordo rerum perturbetur atque notae chronologicae plurimis epistolis desint.

Digitized by Google

ratione compegit. Collectionem sic confectam, quam ipse auctor Registrum inscripserat, iam saeculo undecimo exeunte et in Italia et in Germania innotuisse, et Deusdedit cardinalis Romanus et Bernoldus Constantiensis testes adsunt[3]).

Registrum, cum hanc originem habuerit, non nisi critica arte adhibita legendum esse, vix est, quod dicam. Nihilo tamen minus principem haud dubie locum tenet inter omnia litterarum monumenta, quae ex illa aetate usque ad nostram memoriam pervenerunt, neque alius certe exstat liber, quo Gregorii consilia, qualia re vera fuerint, melius perspici possint. Nam quae in Registro leguntur, non solum omnia ad eius res et memoriam pertinent et arctissimo quasi vinculo cum persona et factis eius coniuncta sunt, sed etiam plurima ipsius Gregorii nomine et auctoritate prodierunt, atque quaedam ipse concepit et litteris consignavit[4]). Quae

3) Vide commentationem meam, quam Phil. Jaffé edidit in Regestis pont. Rom. p. 403.

4) Nonnunquam ipsum Grégorium litteris scribendis operam navasse, infitias nemo ibit, cum in litteris quibusdam ad Beatricem et Mathildem datis haec legantur: „Quod vobis, quas sincero corde diligo, parum scribo, gravi cura me implicitum manifesto. Vobis enim in talibus non aliquem vicarium in dictitando acquiro, sed me ipsum labori, licet rusticano stylo, subpono“ (Lib. I. ep. 50). Iam vero in codice antiquissimo tabularii Vaticani, id quod hucusque a nullo notatum video, tribus epistolis libri secundi (31. 37. 43) ad marginem haec nota adscripta est: Dictatus papae, qua scriptor haud dubie significare voluit, eas litteras ab ipso Gregorio esse conceptas. Eadem verba quasi titulum inscripta esse constat famosissimis illis triginta septem thesibus, quae Lib. II. epist. 50. excipiunt. Has theses, quae totam rationem dominationis pontificiae extremis lineamentis adumbrant, supposititias esse cum alii tum Antonius Pagius (Critica in annales Baronii ad an. 1077) probare conati sunt. Sed tantum abest, ut codex Vaticanus eorum sententiae suffragetur, ut proprie ipsi Gregorio theses tribuat. Neque video, quo iure ab eo abiudicari possint, nisi forte quis omnino Registri fidem in dubium vocaverit.

Digitized by Google

cum ita sint, sperari sane potuit, summa cum diligentia et a theologis et ab historiarum scriptoribus opus tanti ponderis pervestigatum iri. At vero quotusquisque est, qui paulo attentius id perlustraverit?

Sed, ut leniorem sententiam feramus, ea negligentia, quamvis sit improbanda, tamen excusationem quandam habere videtur. Nam nihil profecto molestius est, quam vasta illa volumina, in quibus solis adhuc Registrum adiri potest, volvere ac revolvere, ut ea cum cura res tractentur retractenturque, quae tali operi tribuatur oportet. Accedit, quod editores parum consuluerunt, ut emendatam orationem lecturis proponerent; quam ob causam omnes editiones, quas habemus, pariter plurimis gravissimisque mendis scatent, ut Oedipo haud raro opus sit, extricante ex tot errorum involucris et difficultatibus, quid scriptor dicere voluerit. Inprimis vero perturbatae sunt editorum incuria notae chronologicae, quarum discrepantia res eo deducta est, ut nostra memoria scriptor quidam totum Registrum a nescio quo veteratore recentiore aetate suppositum fuisse praepropera festinatione iudicare [5]) ausus sit.

Iamdudum suspicatus eram, foedissima vitia, in quibus Registrum legentes offendimus, magis in editores, quam in ipsum opus cadere. Quae opinio omnino confirmata est, cum ante hos quatuordecim annos Romae mihi vetustissimum codicem tabularii Vaticani adire liceret. Nihil igitur anti-

---

5) G. Cassandrum dico, cuius nomine C. Ellendorf latere putatur. In libello, qui inscribitur: Das Zeitalter Hildebrands für und gegen ihn (Darmstadt 1842) multus est de fide Registri labefactanda. Pleraque, quae argumento affert, levissimi sunt ponderis; speciem vero quandam veritatis prae se ferunt ea, quae ad chronologicas notas spectant. Itaque alienum non puto commemorare, omnes fere lectiones, quibus quasi fundamento suo argumentatio ista nitatur, non librorum scriptorum esse, sed ab editoribus fuisse corruptas.

Digitized by Google

quius habebam, quam ut praestantissimum librum tam accurate, quam per temporis angustias fieri posset, perscrutarer. Contigit mihi, ut, quaecunque a vulgari recensione recedere cognoveram, in Registri editionem, quae mihi tunc ad manum erat, ad litteram referrem. Quo facto mecum statui novam editionem, ubi primum aliquantum otii nactus essem, adornare, sed tot tantisque curis et scholasticis et litterariis occupato mihi id consilium in longum tempus differendum fuit, neque nunc scio, quando ad effectum perducturus sim. Ut vero ex notitia, quae mihi obvenit, alii quoque aliquem fructum percipere possent, petente Philippo Jaffé V. Cl. abhinc septem annos commentariolum scripsi, quo habitum et conditionem codicis Vaticani explicando ostendere conatus sum, quae fides Registro habenda esset et qua ratione Gregorii epistolae digestae mihi viderentur. Cum omnes codicis notas, quae erant temporis melius definiendi, praeter eam commentationem cum Philippo Jaffé communicassem, satisfecisse mihi videbar amico doctissimo, utpote qui tunc id potissimum ageret, ut ad iustum temporum ordinem epistolas Gregorianas disponeret. Nunc vero occasione oblata aliam quaestionem instituere mihi proposui. Exponendum enim mihi erit, quomodo codice Vaticano adhibito Registrum plurimis mendis, quibus omnes editiones abundant, expurgari et ipsa Gregorii verba in integrum restitui possint.

II.

Priusquam ad ipsam emendationem Registri accedam, paucis verbis demonstrem necesse est, qua ratione vulgaris lectio orta et in eam formam, qua nunc circumfertur, progressu temporis redacta sit.

Editio princeps continetur tomo tertio epistolarum decretalium summorum pontificum, qui anno 1591 „in aedibus

Digitized by Google

populi Romani" typis exscriptus in publicum prodiit. Primam hanc editionem epistolarum pontificiarum, quae usque ad Gregorii VII. aetatem perducta est, Antonius Caraffa S. R. E. bibliothecarius adornaverat, et paulo post eius mortem Antonius Aquinas iubente Gregorio XIV. absolutum opus foras edidit [1]). Caraffa, cum de edendo Registro cogitaret, optimo quidem illo codice, quem supra laudavimus, quique in tabulario Vaticano ei praesto erat, usus erat, sed opus praecipitans a negligenti quodam et imperito librario codicem transcribi iusserat. Mendosum hoc exemplum pro dolor fundamentum primae recensionis erat. Quo factum est, ut saepenumero singula verba aut mutarentur aut plane omitterentur, interdum versus integri in alienum locum transponerentur aut omnino exciderent, alii frequentes errores admitterentur, qui codice non adhibito aegre a quoquam corrigi possent. Mirum profecto est, quod Caraffa nonnunquam quasi suas coniecturas margini adscripsit verba, quae ad litteram cum ipsa codicis lectione conveniunt; qua re eum librarii sui, non codicis correctorem se praestitisse manifestum est.

Ut corruptio lectionis, qualis iam in prima editione fuerit, melius perspici possit, exempla quaedam insignia proferre iuvabit. Gregorius in primis litteris, quas ad Rudolfum Suevorum ducem dedit (Lib. I. ep. 19), haec ait: „Licet ex praeteritis nobilitatis tuae studiis clareat, te sanctae Romanae ecclesiae honorem diligere, nunc tamen, quanto ipsius amore ferveas quantumque caeteros illarum partium principes eiusdem amoris magnitudine transcendas, litterae tuae nobis transmissae evidenter exponunt. Quae nimirum inter caetera dulcedinis suae verba illud nobis videbantur consulere, per quod et status imperii gloriosius regitur et sanctae ecclesiae vigor solidatur, videlicet ut sacerdotium et

1) Mar. Marini Diplomatica pontificia p. 9.

Digitized by Google

imperium in unitate concordiae coniungantur. Nam sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus in pura religione concordantibus corpus ecclesiae spirituali lumine regi et illuminari probatur." Post alia, quae hoc loco praetermitto, orationem ita continuat: „Sed quia concordiam istam, scilicet sacerdotii et imperii, nihil fictum, nihil nisi purum decet habere, videtur nobis omnino utile, ut prius tecum atque Agnete imperatrice et cum comitissa Beatrice et Rainaldo episcopo Cumano et cum aliis Deum timentibus de his diligentius tractemus." Ita prorsus haec in codice Vaticano leguntur, neque quidquam notandum est, nisi quod scriptor totam sententiam a verbis: „Nam sicut" usque ad „illuminari probatur," quam primo omiserat, apposito signo praetermissionis in inferiorem marginem codicis reiecit. Amanuensis vero, cuius opera Caraffa usus est, neglecto signo in marginem adscripta post „Deum timentibus" — nam in ea verba ultimus versus paginae in codice desinit — collocans omnem rerum et verborum ordinem plane solvit.

Neque minus insigne aliud exemplum videtur. Litteris quibusdam ad episcopos Galliae datis (L. II. ep. 5) Gregorius gravissimas iactat querimonias de inauditis Philippi regis sceleribus. „Nec satis," inquit, „visum est ei in dispersione ecclesiarum, in adulteriis, in rapinis nefandissimis, in periuriis et in multimoda fraude, unde saepe eum redarguimus, iram Dei meruisse; quin etiam mercatoribus, qui de multis terrarum partibus ad forum quoddam in Francia nuper convenerant, quod antehac a rege factum fuisse nec in fabulis refertur, more praedonis infinitam pecuniam abstulit et, qui legum et iustitiae defensor esse debuit, is potissimum depraedator extitit, nimirum id agens, ut mala sua non iam infra terminos regni, quod occupat, concludantur, sed per orbem terrarum ad discordiam multorum gentium et suam, credo, confusionem extendantur." Sic in codice Vaticano, neque

Digitized by Google

quidquam in his verbis est, quod scrupulum iniiciat. Errore vero typographi verba a „concludantur“ usque ad „gentium et“, quae primum versum paginae 621 efficere debuerunt, hoc loco exciderunt atque ad calcem paginae 622 mediam in subsequentem epistolam inserta sunt. Quo errore et hic nexum rerum orationisque omnino perturbatum esse, nemo non videt.

Aliter tertius locus, qui ad celeberrimam causam Berengarii Turonensis spectat, se habere mihi videtur, cum de industria hic Caraffam codicis verba mutasse mihi persuasum sit. Subsequitur enim in codice Vaticano epistolam 17 libri tertii fidei illa professio, quae anno 1079 in concilio Romano Berengario extorta est. Cum scriptura in codice variet neque suo loco vel ordine formula collocata sit, eam post in vacuam libri paginam insertam esse, persuasum habeo. Neque tamen ideo mihi minus digna videtur, quae observetur. In haec enim verba desinit: „Sicut in hoc brevi continetur et ego legi et vos intelligitis, sic credo. Nec contra hanc fidem ulterius docebo — sic me Deus adiuvet et haec sacra evangelia — excepto (sic!) causa reducendi ad viam veritatis eos, qui per meam doctrinam ab hac fide recesserunt, aut exponendi fidem, quam hactenus tenui, his, qui me interrogaverint.“ Haec verba iam magna ex parte in codice expuncta sunt, neque causa, cur sublata sint, mihi incerta videtur. Iterum enim eandem formulam iisdem verbis in actis concilii Romani post epistolam 17 libri sexti codex Vaticanus refert. Hoc vero loco formula desinit in verba: „haec sacra evangelia“; quae excipit „Postea“ iam expunctum, tum inane spatium trium versuum. In margine autem nescio quis postea haec adscripsit: „Tum domnus papa praecepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ut de corpore et sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo disputare vel aliquem docere praesumeret, excepto causa reducendi ad

Digitized by Google

hanc fidem eos, qui per eius doctrinam ab ea recesserant." Hoc additamentum omnino cum chronico Hugonis Flaviniacensis convenit (Mon. Germ. S. S. VIII. p. 443), neque dubito, quin inde desumptum sit. Codicis conditione cognita, iam pro comperto haberi potest, tum demum prioris formulae clausulam expunctam esse, cum locus ex Hugone Flaviniacensi in marginem adiiceretur, et mihi quidem persuasum est, Berengarium in ipsa verba prioris formulae iurasse. Caraffa vero, ut quae in codice discrepare videbantur, in editione sua apte inter se concinerent, finem utrique formulae posuit his verbis: „Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei[2]) evangelia," et quaecunque altero loco margini adscripta invenerat, in editionem referenda curavit.

Satis dixisse mihi videor de habitu editionis principis, quam aliae subinde secutae sunt. Non enim ita multo post mos invaluit, ut in thesauris scriptorum ad ius ecclesiasticum pertinentium cum actis synodalibus epistolae summorum pontificum coniungerentur. Sic Registrum quoque Gregorii VII. repetitum est et a Binio[3]) et in collectione, quam vocant regiam[4]), tum transiit in Labbei[5]), Harduini[6]), Coletii[7]) corpora, denique in amplissimam eandemque novissimam collectionem[8]), quam Dom. Mansius Florentiae et Venetiis a. 1759 — 1795 edidit. In omnibus igitur huius generis thesauris Registrum suum locum obtinuit, ita tamen ut ab epistolis dirimerentur acta conciliorum, quae et in codicibus et apud Caraffam cum epistolis permixta sunt, iam vero in

2) Sic Caraffa vel librarius eius ad suum arbitrium bis codicis lectionem mutavit, scribens „sancta Dei" pro „sacra".
3) Parisiis et Coloniae Agrippinae 1606. T. III. p. 1154—1278.
4) Parisiis 1644. T. XXVI. p. 8—527.
5) Parisiis 1671. T. X. col. 6—306.
6) Parisiis 1714. T. VI. P. I. col. 1195—1511.
7) Venetiis 1728.
8) T. XX. col. 60—373.

Digitized by Google

collectionibus illis inter reliqua acta synodalia reiecta inveniuntur.

Quo facilius multa editionis principis vitia cognosci poterant, eo magis erat sperandum, fore ut editores novi novis praesidiis adhibitis corruptos locos emendare studerent. Sed eam spem frustrati sunt. Nam plerumque nihil aliud spectabant, quam ut sui quisque decessoris vestigia quam arctissime premeret. Neque quisquam novae recensionis fundamenta egit, neque manum admovit, ut certa via et ratione verba Gregorii restituerentur. Ita nihil aliud effici potuit, nisi ut sexies Caraffae editio repeteretur. Quae licet ipsa valde mendosa sit, tantum tamen abest, ut repetitiones istae pluris aestimandae sint, ut nemo harum gnarus dubitet, quin longe etiam ceteris praestet, neque immerito homines docti doleant, quod iam in raris libris habeatur. Nam hic quoque factum est,. quod fere fit, ut in novissima quaque repetitione veteribus erroribus novi sive editorum licentia sive negligentia typographorum accrescerent.

Sed ne suum cuiquam honorem detrahere videar, pauca adiicienda sunt de periculis quibusdam, quae et Harduinus et Mansius in emendando Registro fecerunt. Ille quidem, nullo codice adiutus, tamen de coniectura aliquot locis corruptis mederi conabatur. Quae res, quod ingeniosi viri erat acumen, magnam partem ex sententia successit. Nam de emendationibus, quas margini editionis suae adscripsit, non paucae per se probabiles sunt, nonnullas lectio codicis Vaticani aperte confirmat. Primus vero a Caraffa ad libri manu scripti fidem revertit Mansius. Qui de codice quodam Mutinensi certior factus a Fr. Antonio Zacharia impetravit, ut sibi lectiones inde notabiles describeret. Is codex, quamquam neque antiquitate excellit — vix enim hoc nomine Caraffae editionem superat — neque meo iudicio magni faciendus est, tamen editionum recensionem a codicibus longe recedere Mansio persuasit. Quam ob rem lectiones eius carptim margini

Digitized by Google

editionis suae adiungendas curavit, totam autem varietatem proponere supersedit, sive quod non omnis diversitas a Zacharia notata erat, sive quod arbitrabatur, se nemini gratum facturum esse, si totam quasi messem excuteret. Id certe patet, neque Harduini coniecturis neque Mansii lectionibus ipsam vulgatam recensionem mutatam esse, cum uterque, quicquid novi ad Registrum emendandum attulit, non in ipsa verba reciperet, sed in marginem reiiciendum curaret.

III.

Ex iis, quae de origine vulgaris recensionis disputavi, consequitur, ut verba eius, quae parvo discrimine eadem fere in omnibus editionibus repetuntur, non ex diversis libris manu scriptis, sed ex uno codice tabularii Vaticani fluxerint, quem supra laudavi. Neque minus certum est, quaecunque ab hoc codice recedant, aut irrepsisse per errorem aut ad arbitrium editorum mutata esse. Quae cum ita sint, id primum ac potissimum agendum mihi videtur, ut lectio, qualis nunc est, ab omnibus illis, quae vel a nimia licentia vel a negligentia editorum profecta sunt, mendis repurgetur et ad normam codicis, ex quo ipsa originem duxit, rursus dirigatur. Nam quamquam ambigi nequit, quin suo iure editores multos locos in codice corruptos correxerint, id tamen pro comperto habendum est, saepissime eos nullis aliis de causis a genuina lectione deflexisse, nisi quod aut codicis verba male legerent aut probe lecta parum intelligerent aut typographorum erroribus ea, qua par erat, vigilantia mederi negligerent. Ubicunque haec facta sint, quin codicis lectio in integrum restituenda sit, nemo profecto erit, qui in dubium vocet.

Omnes ergo locos, quibus meo iudicio codicis lectio revocari debet, in eas, quas subieci, tabulas retuli. Asteriscis

Digitized by Google

notavi lectiones, quae in Caraffae editione cum codice Vaticano conveniunt, littera *H* Harduini coniecturas ipso codice confirmatas. Quaecunque ad solam orthographiam spectabant [1]), aut non tanti videbantur, ut ad rem quidquam efficerent [2]), hoc loco praetermittenda arbitrabar. Quae in Mutinensi codice cum Vaticano concinant, designare supersedi, cum ex ipsa editione Mansiana facillime perspici possint.

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
61. E. / 62. B.	XI. Kalendas Maii.	VIII. Kalendas Maii. (*Car. IX. Kal.*)
62. E.	totum in portu.	tutum in portu. *H.*
63. B.	regi Danorum.	Svein regi Danorum.
63. B.	inceptis.	in caeteris.
64. B.	nostrorum nomine iudicavimus.	nostrorum neminem iudicavimus. *H.*
65. D.	caritatis affectu.	caritatis affatu.
67. B.	nostra salute.	*de nostra salute.
69. B.	carissimae.	clarissimae.
69. B.	VIII. Kalendas Iunii.	VIII. Kal. Iulii.
71. C.	in Longobardia.	maxime in Longobardia.
73. C.	inveniri possit.	inveniri non possit.
74. A.	Larmir.	Iarmir.
75. A.	patrocinium.	primum.
76. A. B.	*Vide supra p.* 8. 9.	

1) Ratio scribendi in codice adhibita eadem est, quae circa annum 1100 communi in usu erat, neque quidquam fere singulare occurrit. Locis allatis orthographiam codicis retinuimus, praeterquam quod ae posuimus pro e cum virgula subiecta.

2) Conversum verborum ordinem plerumque adnotare noluimus. Neque operae pretium videbatur referre, quotiens „Dominus“ cum „Deus“, „et“ cum „ac“ vel „atque“, cum aliis alia leviora permutata essent.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
76. E.	Quid igitur de cetero, quam (*Car.* quem) sanctae Romanae ecclesiae primum membrorum collocavimus.	Quid igitur de te, quem sanctae Romanae ecclesiae primum membrorum numero collocavimus.
77. A.	sanguinis effusionis.	sanguinis effusoris. *H.*
77. C.	primo Septembre.	*proximo Septembre.
78. D.	VIII. Kalendas Octobris.	XVIII. Kalendas Octobris.
84. E.	XI. Idus Octobris.	II. Idus Octobris.
89. C.	Roderico (*Car.* Roderio).	Roclino.
90. C.	Albertum.	Albericum. (*Quod Caraffa quasi de coniectura scripsit, in ipso codice legitur.*)
91. A.	Aldilasiae.	Adilasiae.
91. A.	voluntate te ferre.	voluntate ferre.
91. B.	libenter impartiens.	libenter impertiens.
91. C.	in fine, hic.	in finem, hic.
92. C.	Letoni marchioni.	Tezoni marchioni.
92. D.	sum coactus.	sim coactus.
93. D.	rogamus caritatem vestram.	rogamus claritatem vestram.
93. D.	quae fideles suos.	qui fideles suos.
96. B.	recipi non meruit.	recipi non meruerit.
97. B.	causas abscindere.	causas abscidere.
97. D.	Adelettae.	Adeleite.
98. D.	Quando meretur.	Qui non meretur. *H.*
99. C. } 100. B. }	XIV. Kal. Maii.	XIV. Kal. Martii. (*Caraffa tanquam de coniectura scripsit, quod in ipso eius codice legitur.*)
99. E.	studiis audivimus.	studiis audimus.
102. E.	laudassem pro eo.	laudassemus pro eo.
103. A.	Data Romae in synodo.	Data in synodo.
104. B.	XVIII. Kal. Aprilis.	XVII. Kal. April.
106. C.	Nunc vos admonemus.	Nunc iterum vos ammonemus.
107. C.	Moravensi ecclesiae.	Olomucensi ecclesiae (*alia manu suprascriptum* Marovensi).

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
108. C.	Id quidem.	Quod quidem.
110. C.	Oscensem.	Ocensem (*perperam post corr.* Oscensem).
113. C.	XVII. Kal. Aprilis.	*X. Kal. April.
114. A.	inculcamus.	inculcavimus.
114. C.	nostri et officii.	nostri est officii.
115. A.	sanctorum morum.	sanctorum more.
115. B.	maneres, sicut nobis promiseras, et ex corde.	maneres, si, sicut nobis promiseras, ex corde.
117. D.	quanto ex vinculo.	quanto et ex vinculo.
118. A.	sustentationibus sustinere.	sustentationibus subsistere.
119. A.	in eodemque quanta vis.	in eodem, quo quanta sit vis.
119. C.	Larmirus Pragensis.	Jarmirus Bragensis. (*Hic quoque Caraffa quasi de coniectura posuit, quod in ipso eius codice legitur.*)
120. A.	quod praepositura et castro Vinzlai debitam.	ut de praepositura et castro Wenzlai debitam.
120. D.	nos quoque in totum neque in partem poteris habere. At si.	*nos neque in totum neque in partem poteris habere. Atque si.
121. D.	ne forte ad alterius novae.	ne forte et alterius novae. (*Harduinus aliter coniecerat.*)
121. E.	pariterque eum admonemus.	pariterque eum admonens.
125. B.	Nam sicut istae prae.	Nam sicut illae prae.
125. C.	ipso protestante invenietis.	ipso praestante invenietis. (*Haec est lectio codicis, non coniectura Caraffae.*)
125. E.	Irasmundum Valvensem.	Transmundum Valvensém.
125. E.	Landericum item in Burgundia.	Rodulfum (*sic prima manu, post corr.* Landericum) item in Burgundia.
127. A.	cupiditate perquisita.	cupiditate per exquisita.
128. A.	quod domi illam.	quod dominam illam.
128. E.	ordine transigenda requirimus.	*ordine transigendo requirimus.
130. A.	soluto ad scelera imperio.	soluto imperio ad scelera.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
130. B.	quod occupat comprehendantur, sed ad suam.	quod occupat, concludantur, sed per orbem terrarum ad discordiam multarum gentium et suam. (*Cf. supra p.* 9. 10.)
130. C.	sententiam accipientes, qui.	*sententiam accipiatis, qui.
130. E.	fideli correctione.	fideli correptione.
131. C.	culpa depereat.	culpa depereunt.
132. A.	Geboardo Pragensi.	Ge . . . . . o Bragensi. (*Post raso loco inscriptum* board, *quamquam procul dubio* Geromiro *antea scriptum erat.*)
132. B.	fraudulenter concludantur, sed orbem terrarum ad discordiam multarum gentium et te fecisse nunc cognovimus, asserens.	frandulenter te fecisse nunc cognoscimus, asserens. (*Cf. supra p.* 9. 10.)
134. B.	si quae alia.	si qui aliqua.
134. C.	solicitudo deerit.	*sollicitudo non deerit.
134. D.	vos de nobis rumores afferri.	*vos rumores de nobis afferri.
137. D.	Dei Halbistetensi episcopo.	Dei Burchardo Halbistetensi episcopo.
137. E.	repraesentabatur auctoritatis.	repraesentabatur auctoritas.
139. C.	Egeneschen.	Egeneshem (*i. e.* Egenesheim).
140. C.	salutem etc.	salutem et apostolicam benedictionem.
142. B.	discrimen inferretur.	discrimen infertur.
143. A.	Dei abbati Bellilocensi.	Dei — abbati Bellilocensi. (*Spatium relictum est nomini addendo.*)
143. E.	nobis quoque praeceptis.	nostris quoque praeceptis. *H.*
146. D.	iam eum nostrumque inimicum nostrumque oppugnatorem invenimus.	iam eius nostrumque inimicum nostrumque impugnatorem invenimus.
146. E.	addenda essent adderent.	*addenda adderent.
	quamplura etiam alia.	*quamplura alia.
148. A.	benevolum tractabilemque.	benevolum te tractabilemque.

2

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
148. C.	recte obtinere.	*recte te obtinere. *H.*
150. A.	et eius honorem.	et ad eius honorem.
154. B.	II. Kal. Ianuarii.	*XI. Kal. Ianuarii.
155. B.	aut certo nuntio.	aut certos nuncios.
156. C.	omni diligentia et sollicitudine.	omni sollicitudine (d. e. *°deleta sunt in Vaticano*).
159. B.	legatos tum per epistolas.	legatos et epistolas.
162. C.	Romae, in qua coactus.	Romae, quam coactus.
163. B.	quod enim morbo.	*quod eum morbo.
163. D.	si res postularet.	si res postulaverit.
164. A.	VIII. Kal. Februarii.	IX. Kal. Febr.
164. B.	Sueno regi Danorum.	Sueino regi Danorum.
164. C.	ecclesiasticae exhortationis.	ecclesiasticae exornationis.
164. D.	necessitas pareat.	necessitas parcat. *H.*
164. E.	periculosum tunc fore.	periculosum iter fore.
166. A.	in synodo secunda, Kal. Martii.	*in synodo II. Kal. Martii.
166. C. D.	iudicia perduci — — apertiora iudicia.	indicia perduci — — apertiora indicia.
166. E.	nulla acclamandi occasio.	nulla proclamandi occasio.
168. A.	fratre coepiscopo.	fratre et coepiscopo.
168. B.	conterenda et penitus extirpanda.	conterendis et penitus extirpandis.
168. E.	Quod unicum.	Quod hoc unicum.
169. D.	prout oportet.	prout oportuit.
170. B.	de causa Irasmundi.	de causa Trasmundi.
170. B.	superfluis disputationibus.	superfluis disceptationibus.
170. D.	ecclesiam nostram devastari.	ecclesiam vestram devastari.
170. D.	IV. Non. Mart.	III. Non. Mart.
171. A.	Traiectensium detentam.	Traiectensium retentam.
171. B.	sine mora inducat.	*sine mora reinducat.
172. E.	Dei Leodicensi.	Dei D . . . . . Leodicensi (*i. e.* Dietwino).
173. B.	Manucensis comitis.	Namucensis comitis (*i. e.* Namurcensis).

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
173. B.	id agere nequiveris.	id facere nequiveris.
173. D.	fratri coepiscopo.	fratri et coepiscopo.
175. B.	non debemus nec possumus.	nec debemus nec possumus.
175. D.	Helvestensi archiepiscopo.	Halvestetensi episcopo (*i. e.* Halverstatensi).
175. E.	superfluas iudicavimus.	superfluum iudicavimus.
176. A.	maxime qui alios.	maxime qui et alios.
176. B.	est non acquiescere.	est nolle acquiescere.
179. C.	nullo unquam exactionis modo.	nullo unquam vexationis modo.
179. E.	consistat ut nullius.	consistat et nullius.
180. D.	dicenda relinquimus.	dicenda reliquimus.
180. E.	humilibus precibus.	humillimis precibus.
181. A.	contracambium tribuatis — tui condecet generis dignitatem.	concambium tribuatis — tui condeceat generis dignitatem.
182. B.	propriam attinere.	proprie attinere.
182. C.	impartiri cupimus.	impertiri cupimus.
186. E.	vel nunquam Deo.	vel unquam Deo.
187. A.	visus est eam dilaniare.	nisus est eam dilaniare.
188. D.	His excessibus diligenter.	Hic excessibus enim diligenter.
188. E.	cuius nomini et defensioni.	cuius et nomini et defensioni.
189. C.	qui suas diligunt.	qui vere suas diligunt.
190. C.	ac ne quidquid ulterius.	ac ne quid ulterius. *H.*
191. B.	velle eius utilitati.	vel eius utilitati.
193. E.	periculosum nobis esset.	periculosum nobis esse (t *recentiore manu adiectum est*).
194. A.	vel si malles.	vel si malis.
194. C.	mersum videbis.	mersum videris.
194. D.	non existimes.	ne existimes.
194. D.	VII. Idus Septembris.	VII. Idus Decembris. (*Caraffa quasi suam coniecturam margini adscripsit lectionem codicis.*)
195. D.	VI. Idus Octobris.	VI. Idus Decembris.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
196. B.	ut nobis tuo.	*et nobis tuo.
197. C.	observandum adiudicamus.	observandum adiudicavimus.
198. A.	Radbodi, Adelprech et Vodescal Rei.	Radbodi, Adelpreth et Uodescalki.
200. A.	quae ostensa nobis.	quae ostensam nobis.
200. B.	privilegium diffinitionem nostram latius continens munitum.	privilegium (*scribendum est*: privilegio) diffinitionem nostram latius continenti munita.
200. D.	nostrae conscientia.	nostra conscientia.
200. D.	quoque confraternitas tua.	quoque, quam fraternitas tua.
202. A.	Aurelianensis ecclesiae.	Aurelianensis ecclesia.
202. B.	inobedientiae matris suae.	inoboedentiae matri suae.
202. D.	Data Romae mense.	Data mense.
203. B.	quae ab eis.	*qui ab eis. *H.*
203. C.	quoque canoniam suam.	quoque canonicam suam. (*Sic et hic et saepius infra scriptum est.*)
204. A.	Romana constat ecclesia.	Romana constant ecclesia.
204. B.	non parcentes, quibus.	non parcentes gregi, quibus.
204. B.	irruentibus cedat hostibus.	*irruentibus cedant hostibus.
204. B.	ubicumque poteris.	ubicunque potueris.
205. A.	populo Hipponensi in.	Buzeae id est Hippona in. (id est Hippona *post adiectum est.*)
205 D.	Anzir regi.	Anazir regi.
206. B.	quantum tibi libenter servire velint.	quantum tibi servire velint.
206. E.	qui ultra meritum.	* quia ultra meritum.
206. E.	revera et Deum et honorem eius diligat, eius.	revera Deum et honorem eius diligat et eius.
207. B.	ut respiceret summopere	*ut resipisceret summopere.
207. E.	idololatriae scelus. Testis nobis.	idolatriae sceleris. Testis enim nobis.
209. B.	restat, ut neget non.	restat, ut neget se non.
210. B.	tecum irritum.	tecum in irritum.
211. B.	illi consiliarii.	illi tales consiliarii.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
211. D.	secreta ac indubitabili.	se certa ac iudubitabili (*Car.* secerta).
211. E.	vos ipsi comprehendite.	vos ipsi comprehenditis.
211. E.	ut omnino firmatum.	et omnino firmatum.
212. C. } 213. A. }	sancti Melarii.	sancti Melanii. *H.*
214. B.	canonum non communicaverit.	canonum non communicavit.
215. C.	reatus sui poenitentia.	reatus sui competentia.
215. D.	vel ipse vel per legatos.	vel per se vel per legatos.
216. E.	in fornicatione persistentes.	in fornicatione manentes.
218. B.	quod nos quidem credimus.	quod et nos quidem credimus.
218. C.	tandem semetipsum.	*tandem per semetipsum.
219. A.	regi oblatos esse.	regi obligatos esse.
221. B.	et manus imponere.	ei manus imponere.
221. E.	quod ei antiquam debitam.	quod ei antiquam et debitam.
222. E.	Leuzonem monachum.	Teuzonem monachum.
223. B.	egregiae sunt virtutes.	egregiae sint virtutes.
225. A.	quod de causa.	quod de ea causa.
225. C.	Si vero istum.	Sin vero istum.
225. D.	claustrali disciplina correctum.	claustrali disciplina correptum.
228. C.	sed et ibi.	sed et tibi. *H.*
228. C.	consilium auxiliumque daret.	consilium auxiliumque pararet (*Caraffa* pareat *Harduinus* paret).
228. D.	prout oportet statuere.	prout oporteat statuere.
230. E.	praecipimus ut utrumque.	praecepimus ut utrumque.
231. B.	credimus, quod ubicumque duo.	*credimus, ubicunque duo.
231. B.	a corde nostro debet.	a corde vestro debet.
233. C.	apostolicam benedictionem.	*apostolicam benedictionem, si oboedierint.
235. B.	qui sunt ex contentione.	qui ex contentione.
237. D.	aliquem modo ad illas partes.	aliquem modo ad has modo ad illas partes.
238. A.	talem sibi honorem et reverentiam exhibeatis.	talem sibi reverentiam exhibeatis (*Caraffa* h. e. *quae in codice deleta sunt, adiecit*).

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
238. A.	exhibere oportet.	exhiberi oportet.
240. B.	scitote, quod.	scitote, quoniam.
240. B.	contra eum, sed contra.	contra se, sed contra (*Car. omisit* se).
241. E.	finem habeat et accipiat.	finem accipiat (*Car.* finem habeat accipiat).
242. A.	nihil adhuc dignum fecisse cognovimus; quamquam nos nunquam eum in aliqua causa Deo providente hac occasione contravenire, iustitiam circumvenire.	nichil adhuc digni fecisse cognovimus; quamquam nos nunquam eum in aliqua causa Deo providente hac occasione contra iustitiam circumvenire.
243. B.	Saxonem ipsum.	*Sanzonem istum. (*Cf. Lib. V. ep.* 14.)
244. B.	honorem exhibuerit.	honorem exhibuisset.
244. D.	paterni ministrant regni.	paterni ministrat regni.
246. D.	lite, quae inter Spalatanum.	lite, quae est inter Spaletanum.
247. A.	vestram utique omnium fidelium matrem.	*vestram utique omniumque fidelium matrem.
247. A.	Deique peccantibus.	Deique est peccantibus.
247. D.	praebere parati sumus.	praebere parati fuimus.
247. E.	quonam instinctu quove actu.	quonam instinctu quo actuve.
249. C.	de dissidio.	de discidio.
249. D.	fraternitas literis, quibus id singulariter scriptum est.	fraternitas in litteris, quibus illud singulariter descriptum est.
250. D.	deservimus, est quaedam.	deservimus, quaedam.
251. B.	Gotefredus autem Carnotensis.	Gosfredus autem Carnotensis.
251. C.	Sin autem certissime.	Sin autem certissimum.
251. D.	Henrico Spirensi episcopo.	H . . . . Spirensi episcopo. (*Heinrico episcopo iam a.* 1075 *mortuo, in ecclesiam Spirensem successerat Huzmannus.*)
252. D.	prius admonitionibus.	piis admonitionibus.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
254. A.	pati nequeant, sed nec etiam videre possint.	pati nequeunt, sed nec etiam videre possunt.
254. B.	miserere mei, Domine, quia.	miserere michi, Domine, quoniam.
254. B.	Nec illud obliviscor.	Nec illius obliviscor.
254. D. } 255. B. }	noster Evetius Dolensis.	noster Evenus Dolensis.
256. D.	procurarent in irritum ducere.	procurent in irritum ducere.
257. A.	Capuae Kalendis Iunii.	Capue Kalendis Iulii.
257. E.	suffraganeo papam Gregorium.	suffraganeo sanctum papam Gregorium (*Car.* secundum).
258. C.	agatur, tergiversationi et fugae.	*agatur tergiversatione, et fugae.
258. D.	commemoratis fratribus.	memoratis fratribus.
260. A.	soliciti etenim sumus.	sollicitì etenim fuimus.
261. A.	contendit infamia.	contendit infamiam.
261. A.	episcopum culpabilem.	episcopum inculpabilem.
261. C.	Sutrii.	Sutrio (*Car.* Sutris).
261. D.	Brutuli filii mei et filiorum Brutuli.	Brittuli filii mei et filiorum Brittuli.
261. E.	Cumberti Taurinensis.	Cuniberti Taurinensis.
262. B.	quia eum, qui iniustam.	quia in eum, qui iniustam.
264. A.	Taruennensis ecclesiae Irnolpho.	Taruannensis ecclesiae Ernolfo.
265. D.	ecclesiae nostrae instituit.	ecclesiae vestrae instituit.
266. A.	Landulpho Pisano suisque.	*Landulfo Pisano episcopo suisque.
266. C.	quae divina pietate per.	*quae divina pietas per.
266. C.	qui dicitur Schannellum.	qui dicitur Scanellum.
268. B.	de dissidio regni illius.	de discidio regni illius.
269. D.	pater noster re vera.	pater vester re vera. *H.*
270. D.	in amore Petri et solicitudine.	in amorem sancti Petri et sollicitudinem.
271. A.	nec praemio nec favore.	nec praetio nec favore.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
271. C.	debet apponere.	debet opponere. *H.*
271. D.	N. venerabili Cluniacensi.	H. venerabili Cluniacensi (*i. e* Hugoni).
271. E.	ultra haec debes.	inter haec debes.
272. A.	in te obedientiam non invenit.	oboedientiam in te, ut te decet, non invenit.
272. B.	qui Deum timent, reperiuntur.	qui Deum timeant, repperiuntur.
272. B.	amantes in toto occidente vix aliqui.	amantes vix in toto mundo occidente aliqui.
273. A.	Haremanno, Udelrico.	Hirimanno, Udelrico.
273. D.	cavendum tibi, scilicet ne	cavendum tibi est, ne.
273. E.	V. Idus Martii.	V. Kal. Martii.
275. A.	ille enim non est adeo notus.	ille non est adeo notus.
276. D.	quidquid isti de ea re.	quicquid ipsi de ea re.
276. E.	Indignum quippe est.	Indignum quippe esse.
278. A.	VIII. Kalendas Aprilis.	XVIII. Kalendas Aprilis.
278. C.	carissimus cohaereas.	karissimus adhaereas.
279. A.	illos vel . . . . videlicet D . . .	illos E . . . videlicet Ou . . .
282. C.	intentione ecclesiae praelationis.	intentione ecclesiasticae praelationis.
283. C.	ex diversitate connexio.	ex diversitate contexio (*corrigendum est*: contextio).
283. D.	in altera Deo placita dilectione sinceritas.	in alterna et Deo placita dilectione sinceritas (*corrige:* dilectionis sinceritate).
283. E.	appellarent, ut ipsi.	appellarent, et ipsi
284. B.	gradus mihi in hoc saeculo.	gradus in hoc saeculo (m. *expunctum in Vat.*)
284. B.	XII. Maii.	*XII. Kal. Maii.
285. D.	tu potissime temerator.	tu potissimum temerator.
288. B.	nobis Zeuzonem quasi.	nobis Teuzonem quasi. *H.*
288. D.	scias et contra rationem et iniuste.	scias contra rationem iniuste.
289. B.	Statuimus, ut si aliquis.	Statuimus, si aliquis.
291. A.	Si vero obediens.	Sin vero oboediens.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
291. C.	monemus, in his studiis.	monemus, ut in his studiis. *H.*
292. B.	et istae etiam virtutes	et ipsae etiam virtutes.
292. D.	caeleste perduceret, venit.	* caeleste reduceret, venit.
292. E.	coronam incorruptibilis regni.	coronam incomparabilis regni.
292. E.	uberiora erga vos.	*uberiora eius erga vos.
294. C.	V. Non. Novembris.	IV. Non. Novembris (*Cod. Mut.* III. Non. Nov.)
295. C.	ubi cum aliis.	ubi cum de aliis.
295. E.	VIII. Kal. Decembris.	VII. Kal. Decembris.
296. D.	potestatem acceperit.	potestatem accipiunt.
296. D.	ad occasum furti festinet.	ad occasum furtim festinet. *H.*
296. E.	Deo propitiatore.	Deo propitiante.
298. A.	pro te laborante.	pro te laborantes.
299. E.	cum tyrannum.	cum ut tyrannum.
301. A.	super canonicos.	super concanonicos.
301. C.	apostolica interdictum.	apostolica tibi interdictum.
301. E.	praelibatum episcopum.	supralibatum episcopum.
302. B.	Kalendis Aprilis.	IX. Kal. Aprilis.
303. A.	Bituricensi, nec non Narbonensi.	Bituricensi, Narbonensi.
303. B.	fidelitate et dominio.	fidelitate et hominio.
303. C.	Maurzicense cum omnibus.	Maurciazense cum omnibus.
303. D.	Monasterium quidem Viacense.	Monasterium quidem Viancense.
305. C.	lepra puratos.	lepra curatos.
306. C.	a pessimis suis.	*a pessimis filiis suis.
306. C.	timore convictus.	timore devinctus.
308. A.	disciplinis regulariter instruere, mores eorum vitamque competenter instruendo.	disciplinis regularibus instruere, mores eorum vitamque competenter instituendo.
309. A.	Qua tamen maioritatis et minoritatis distantia religio sic se movet christiana, ut cura et dispensatione apostolicae dignitatis post Deum gubernetur regia.	*Quas tamen maioritatis et minoritatis distantia religio sic semovet christiana, ut cura et dispensatione apostolica dignitas post Deum gubernetur regia. („*aposto-*

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
		lica" cum voce praecedente coniungendum est, „dignitas" cum „regia".)
309. B.	si te diligis.	ut te diligis.
311. A.	conversus fuerit.	conversus est.
311. B.	Frigentium subiungimus.	Frigentum subiungimus.
312. A.	contra morem sanctae ecclesiae vestrae.	contra morem sanctae ecclesiae vestra.
312. D.	atque actionis norma consistit. Quisquis.	*atque actionis existat, quisquis.
312. E.	crucifixus est.	crucifixus es. *H.*
313. C.	quasi districti examinis.	*quatinus districti examinis.
314. C. } 316. A. }	Ciprani.	Ciperani.
316. C.	bona tua fragantia.	*bona tua flagrantia.
316. E.	posteritatis eius abripuit.	*posteritate eius abrupit.
317. A.	id faciet.	idem faciet.
317. C.	omnino sunt necessariae.	omnino sunt necessaria.
318. A.	videlicet H .... qui vertex regem, qui vertex et auctor.	videlicet H ... regem, qui vertex et auctor.
318. D.	maluerit impetrare.	valuerint impetrare.
320. E.	esse uberantiora.	esse exuberantiora. *H.*
320. E.	sanctissima eorum corpora.	sanctissima ipsorum corpora.
321. C.	sine causa fit, sicut.	sine causa, sicut.
321. C.	tyrannicae percussionis.	tyrannicae persecutionis.
322. C.	si tui memoriam in nobis ante Dominum iugiter esse desideras.	si et tui memoriam in nobis ante Deum iugiter inesse desideras.
323. B.	glorioso Sueonum regi.	*glorioso Suetonum regi.
323. C.	aliquem episcopum.	aliquem vel episcopum.
324. D.	beatum Petrum apostolum diligunt.	beatum A. diligunt (*i. e.* Apollinarem).
325. A.	postquam huiusmodi.	postquam ob huiusmodi.
328. A.	Quam itaque diligenter.	Quam utique diligenter.
328. B.	sicut vos ipsi.	sicut ipsi.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
329. A.	merito, quas sperare studium.	merito queas sperare, studium. *H.*
329. B.	tergiversationem sibi fieri.	*tergiversationem tibi fieri.
331. B.	et divina clementia, quod.	et mira clementia, quod.
335. C.	pericula ad cognitionem.	pericula ad agnitionem.
335. D.	unde gaudeat.	unde gaudebat.
336. D.	Inter hoc itaque.	Inter haec itaque.
337. A.	simul dedignatur.	similis dedignatur. *H.*
340. C.	posse episcopum nominari.	posse esse episcopum.
342. B.	audita voce.	audita morte. (*Caraffa quasi de coniectura margini adiecit id, quod in cod. legitur. Harduinus coniecit:* nece.)
342. E.	ecclesiae provideatur.	ecclesiae rex provideatur.
343. E.	necdum tantam.	*nedum tantam.
344. C.	hoc non potuerit.	hoc non oportuerit.
344. D.	illum praeterita.	illum et praeterita.
345. D.	ut demum.	aut demum.
346. C.	disciplinae tenore.	de disciplinae tenore.
346. D.	suam consecrationem.	sui consecrationem.
348. A.	suum quibuslibet.	suum quibusque.
349. A.	Maii.	Maii indictione quarta.
349. D.	etiam focum.	etiam fodrum.
349. E.	quoniam illorum.	* quoniam et illorum.
350. B.	nostri servitio.	nostro servitio.
351. B.	Vvisigothorum gloriosis regibus L. et A.	Vvisigothorum gloriosis regibus I. et A. (*Designatur rex Inge cf. L. VIII. ep. II.*)
354. D.	fraternitati tuae committimus.	fraternitati tuae remittimus.
355. A.	praelibato antecessori.	praephato (*i. e.* praefato) antecessori.
355. C.	temporis supportatum.	temporis supportatus.
355. D.	infra praedictum spatium.	infra praefixum spatium.
356. D.	cum tentationibus.	*in tentationibus.
356. E.	glorioso comiti Andegavensi.	glorioso comiti.
359. A.	recte non diiudicas.	recte non dividas. *H.*

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
359. B.	christiana religione.	*christianae religionis.
359. C.	ut de reliquo.	ut et de reliquo.
360. A.	quam a ceteris.	quam et caeteris.
361. B.	diligenti excussione.	diligenti discussione.
363. A.	Dei militibus Tervannensibus O.	Dei O.
363. B.	ipsius vita.	ipsius vel vita.
364. D.	nimis ad singula.	minus ad singula.
366. E.	fautores contumaciam.	fautores contumaciae.
369 B.	Dominus, si.	Dominus Deus, si.
370. A.	communicaverint vel in militia saeculari servierint.	communicaverit vel in milicia saeculari servierit.
372. D.	ecclesiae esse iudicavit.	ecclesiae esse adiudicavit.
443. C.	praeteriti mensis.	praedicti mensis.
461. D.	ideo legatus.	*idem legatus. *H.*
462. D.	sacramentum domino.	*sacramentum iubente domno. *H.*
468. D.	et omnes sancti.	*inter omnes sanctos.
468. E.	pro vita tua.	pro vice tua. *H.*
469. B.	aedificavit ecclesiam.	aedificavit ecclesiam suam.
504. D.	pars iniusta desistat.	pars iniusta resipiscat.
506. A.	prohibemus. Item. Et quoniam.	prohibemus. Et quoniam.
506. B.	auctoritate anathematis.	*auctoritate ab anathematis.
507. D.	habendum impedient.	habendum impedierint.
508. D.	de manibus laicorum.	de manu laicorum.
509. B.	Decreta quaedam in hac synodo facta: multa enim desiderantur, quorum tantum tituli habentur.	*Decreta in eadem synodo facta.
509. E.	comprobantur, infirmas et irritas.	comprobantur, irritas. (infirmas *prius in cod. Vat. scriptum erat, quo deleto suprascriptum est:* irritas.)
510. A.	possit, si culpis.	possit, culpis.
510. A.	et recognoscat se	*recognoscat se.

Digitized by Google

Editionis Mansianae locus.	Lectio vulgaris.	Lectio codicis Vaticani.
510. C.	imponat, interdictum	imponat vel interdictum.
523. C.	sempiterni principis.	sempiterni principii.
523. C.	diversarum regionum et provinciarum.	diversarum provinciarum.
525. E.	fidelis ero beato Petro.	fidelis ero et oboediens beato.
525. E.	non ergo in.	*Non ero in. *H.*
526. A.	ad retinendum	ad tenendum.
533. C.	iustitiam portavit.	*iustitiam portaverit.
534. B.	aulici et vulgares.	aulici etiam et vulgares.
536. A.	non fortuito, sed vestra potestate cadet. Confundatur.	*non fortuitu, sed vestra potestate cadet, confundetur.
577. B.	pontificatus vero Gregorii septimi anno octavo nondum exacto, praesidente.	*pontificatus vero domni Gregorii septimi papae anno octavo, praesidente.
577. B.	Henricum quoque dictum regem et.	*Heinricum quoque et.
587. E.	persecutio impedivit.	persecutio praepedivit.
587. E.	porticu muros surripuit.	porticus muros surripuit.
588. D.	Henrici in urbem vellent.	Heinrici urbem vellent.
588. D.	prout cuique licebat.	prout cuique libebat.
588. E.	praestrinxisse sufficiat.	perstrinxisse sufficiat.

IV.

En quadringentae fere emendationes, quas ipse codex Vaticanus suppeditat. Verum enim vero in gravissimum errorem induceretur, qui sibi persuaderet, in emendando Registro id solum agendum esse, ut quam accuratissime velut ad litteram ipse codex describeretur. Licet enim antiquitate excellat et aliis quoque nominibus libris adhuc cognitis longe praestet, tamen minime ab omnibus partibus pro perfecto et absoluto habendus est. Id enim iam olim in priore commentatione mea in dubium vocabam, num integrum Regi-

Digitized by Google

strum ille exhiberet, cum Deusdedit cardinalis in collectione sua canonum laudet ep. 70 et 75 ex septimo libro, qui in Vaticano supra ep. 28 non progreditur. At fieri potuit, ut Deusdedit errorem aliquem in numeris indicandis admitteret. Sit ergo integer Vaticanus, aliis tamen vitiis iisque gravissimis certe abundat. Nam a pluribus, ut primo obtutu patet, exaratus est librariis, Bantinis [1]) nisi fallor monachis, qui neque eadem arte neque pari diligentia scribendi utebantur. Quam ob causam alia satis emendata, alia mendosissime scripta sunt, neque orthographia sibi constat, atque alibi in aliis offendimus vitiis. Vel ipsos librarios nequaquam fugisse videtur, quam saepe in munere lapsi essent, cum permulta in libro, quem confecerunt, aut expuncta aut suprascripta aut alia ratione correcta videamus. Multa quidem sic ipsi iam correxerunt, sed non pauca intacta reliquerunt, quae emendatione non minus indigerent. Quare Caraffam et editores, qui eum sequuti sunt, optimo iure saepenumero codicis lectionem mutasse supra dixi. Neque ob alias causas reprehensione mihi digni videntur, quam quod modo optimas codicis lectiones temere repudiaverunt, modo corruptos locos, ne periculo quidam emendationis facto, pro incorruptis venditaverunt. Itaque non satis est Vaticanum quam accuratissime describere, sed danda edituro opera est, ut lectionem eius certa via et ratione castiget suisque coniecturis verba Gregorii in integrum restituat.

Errores, quos in Vaticano deprehendimus, meo iudicio in quatuor omnino genera describi possunt. Primum quidem saepenumero terminationes verborum confusae sunt. Praesertim notam litterae *m* omissae librarii perperam adhi-

1) Monasterium Bantinum, in Apulia situm, ipsis Gregorii VII. temporibus conditum annó 1075 ab hoc papa impetravit privilegium, quod codici Vaticano praefixum est. Consecrata est ecclesia monasterii anno 1093 ab Urbano II. Cf. Jaffé Reg. p. 417. 457.

Digitized by Google

buerunt, modo omittentes, ubi ponenda erat, modo non suo loco apponentes. Sententias sic vitiatas, cum haud difficiles sint ad corrigendum et levi extremae syllabae vel litterae mutatione plerumque sanari possint, maximam partem iam Caraffa emendavit. Alterum genus est mendorum, quae a similitudine quadam vocabulorum profecta sunt, ut saepius *noster* et *vester*, *vobis* et *nobis*, alia similia permutata invenimus. Haec imprimis Harduinus, homo emunctae naris, feliciter indagavit, et plura egregie expedivit [2]). Tum in numeris vel notis chronologicis reddendis nonnunquam librarii errarunt. Errores sic admissi, si ex ipso ordine litterarum cognosci possunt, parvo negotio corriguntur; sin aliter, res est desperanda. Quartum denique genus parum adhuc observatum est, quamquam frequentissimum mihi videtur. Plurimas enim, nisi vehementer fallor, lacunas Vaticanus habet, vel singulis vel pluribus verbis omissis. Quod cum vel ex eo coniici liceat, quod tot verba suprascripta sunt, multo tamen manifestius fit ex ipso sententiarum et verborum nexu. Sic iuramentum Bertramni comitis (M. 350 B.) Vaticanus in hunc modum refert: „Ego B. etc. ab hac hora et deinceps tibi domino meo papae Gregorio et cunctis successoribus tuis, qui per meliores cardinales s. Romanae ecclesiae fuerint, credideritis, in dampnum vestrum me sciente non manifestabo.“ Nonnulla excidisse, quis non videt? Neque Caraffam fugit, qui lacuna bene expleta iuramentum sic edidit: „— s. R. ecclesiae *electi* fuerint, *fidelis ero, et quicquid* credideritis etc.“ Alias quoque praetermissiones et Caraffa et Harduinus hic illic notaverunt, sed maiorem tamen numerum locorum hoc modo vitiatorum eos parum curasse opinor [3]).

2) Placet etiam ea emendatio, quam Hartvicus Floto ad ep. 79 libri primi (M. 120 C.) proposuit, „tempore antecessoris *vestri*,“ non *nostri* scribendum esse docens. Vita Heinrici IV. T. I. p. 155.

3) Cum expuncta quoque multa in Vaticano esse supra retulerim, su-

Digitized by Google

Modum huius commentationis longe excederem, si de omnibus sententiis vel verbis una alterave ratione in Vaticano corruptis hic acturus essem; neque in iis omnibus immorari licet, quas de coniectura sanasse mihi videor. Verum viros doctos ad has res investigandas curiosos aequi bonique consulturos esse spero, si nonnullis exemplis viam paulo distinctius doceam, quae mea quidem sententia ad lectionem codicis emendandam instituatur oportet.

L. I. ep. 11 (M. 68 C.). „Quicunque ergo sive spe huius vel timore illius in tempore temptationis ab his, quae recta sunt, deviat, nec sperare in Deum nec divinarum eloquiis scripturarum se adhibere manifestat.“ Sic Vaticanus. Caraffa pro „adhibere“ scripsit *adhaerere*. Neque tamen dubito, quin ante „adhibere“ exciderit *fidem*.

L. I. ep. 17 (M. 74 B.). „Fratrem vestrum attentius hortemini, quatinus legatorum nostrorum monitis debitae obedientiae aurem inclinet et quicquid iustitiae sibi suggesserint — — — — vel ex iis praeiudicio pergravari, nulla sibi ab hac ecclesia audientia denegabitur.“ Plura librarius Vaticani omisit, lacuna post „suggesserint“ relicta. Sed Caraffa

---

spicio non abesse videatur, quin librarii id quoque saepius admiserint, ut Gregorii verbis sua temere admiscerent; quod haud dubie nonnunquam factum est, sed plerisque additamentis iam in recognoscendo libro deletis pauca reliquerunt nobis expungenda. Exemplum deprehendimus in inscriptione ep. 2 libri VII. (M. 289 A.), ubi in Vaticano haec leguntur: „Gregorius *etc.* Lucensi clero et populo exceptis his, qui non communicant neque consentiunt communicatis salutem *etc.*“ „Exceptis“ expuncto, omnia bene se habent; cf. L. V. ep. 6 et L. IX. ep. 8. Caraffa certe aliter locum expedire studuit, cum in hunc modum ederet: „qui communicant atque consentiunt.“ Item expungendum videtur „quem“ in his verbis: „Neque enim alium nostrae salutis et aeternae vitae introitum Christi ovibus eorumque pastoribus patere cognovimus, nisi *quem* ab ipso monstratum.“ L. III. ep. 10 (M. 197 B.).

Digitized by Google

verba quasi integra typis exscribenda curavit, neque editores, qui eius recensionem repetiverunt, praetermissionem animadverterunt [4]). In hunc fere modum locus supplendus videtur: „*faciat. Quodsi censuerit* vel ex iis praeiudicio pergravari etc.“ . Num *praegravari* corrigendum sit, in medio relinquo.

L. I. ep. 20 (M. 77 A.). „Quanto melius tui sanguinis effusoris totiusque sui generis et patriae mores et vitam novisti, tanto melius, quibus modis et quibus facilius cogatur, consulere nobis poteris.“ Sic editores, Vaticani verba reddentes. Sed excidit ante „facilius“ *rationibus* vel simile vocabulum.

L. I. ep. 30 (M. 86 B.). „Unde apostolica te auctoritate admonemus, ut clericos tuos, qui turpiter conversantur, pastorali rigore coerceas et, quod Romana ecclesia testante de immunditia clericorum statuit, neque gratiam neque odium alicuius considerans constanti auctoritate in ecclesia tua praedicando exerceas.“ Haec est lectio codicis Vaticani. Manifesto vero pro „testante“ scribendum est: *te adstante.* „Considerans“ in editione Mansiana per errorem omissum est.

L. I. ep. 63 (M. 109 B.). „In hoc autem, quod sub ditione tua Romani ordinis officium fieri studio et iussionibus tuis asseris, Romanae ecclesiae te filium, ac eam concordiam et eandem amicitiam te nobiscum habere, quam olim reges Hyspaniae cum Romanis pontificibus habebant, cognosceris.“ Excidit *praestas* vel *praebes* post „filium“. Neque scio an Gregorius scripserit: „tu nobiscum“.

L. I. ep. 70 (M. 114 A.). „Iustitiae per omnia, cum

---

4) Eodem modo L. VI. ep. 17 (M. 272 A.) post „ut illud“ integri fere versus lacuna in Vaticano relicta est, quam editores notare supersederunt. Nec non in Concilio Vaticano V. (M. 507 D.) spatium inane invenitur post „Constantinopolitanus imperator,“ ubi nescio quae nomina librarius praetermisit.

opportunum est, in modo insudare ne desinas." Sic Vaticanus. Editores: „tu modo insudare non desinas." Corrigendum est: „*omni* modo insudare ne desinas."

Eodem loco. „Haec ideo, karissime, tibi inculcavimus, quia inter reges te solum habemus, quem prae aliis diligere suprascripta credimus." Fortasse emendandum est: *supra scriptam ecclesiam.* Conferas haec initio eiusdem epistolae: „Absque dubio credimus te ex corde matri tuae sanctae Romanae ecclesiae adhaerere eamque totis viribus, ut debes, diligere."

L. II. ep. 32 (M. 150 D.). „Tantis dilectionis amplexibus sanctam Romanam ecclesiam et nos sui debito te diligere putamus, tanto dilectionis fervore in suo et nostro amore te debere fervere, ut nimium sit nobis haesitare, quin apostolorum limina, si tibi integra adesset facultas et libera, visitares." Pro „nimium" Gregorius, nisi fallor, scripsit: *minime.*

L. II. ep. 49 (M. 162 C.). „Sed quia non est pretiosa laus neque sancta oratio cito impetrans in ore peccatoris, cuius est vita laudabilis et actio saecularis, rogo, ut eos, qui merentur audiri pro vitae meritis, vigilanti cura rogites, ut pro me Deum exorent." Haec, ut in Vaticano leguntur, ferri nequeunt. Adiice *vix* post „vita".

L. II. ep. 50 (M. 163 B.). „Caeterum quod nos de causa Aragonensis episcopatus et consuluisti et te quodam modo velle significasti, diu et multum volentes et cum filiis sanctae Romanae ecclesiae pertractantes, incongruum fore pervidimus." „Diu et multum *volventes*" scribendum esse, nemo non videt.

L. II. ep. 54 (M. 167 C.) „Quem olim omni officio privatum, reddita sibi sola communione ecclesiae, multis minis ac precibus contestati sumus, ut procuraret habere pacem vobiscum, redditis et restitutis, quae abstulerat, cum aqua monisterii (*sic!*) et spem maioris beneficii dedimus, si mandata servaret." Locum valde corruptum Harduinus emen-

Digitized by Google

dare conatus est scribendo: „curaque monasterii et spem etc.“ Sed ne sic quidem omnia bene se habent. Scribendum esse puto: *curam antiqui ministerii.* Ministerium est territorium episcopatus, quo sensu in aliis quoque epistolis Gregorius vocem usurpat.

Eodem loco (M. 167 D.). „Dabimus etiam operam, ut omnes fideles sancti Petri adiuvent vos in expellendo lupo et ordinando pastore, qui res vestras diripuit.“ *Exordinando,* non „ordinando“ Gregorius scripsit. Cf. Du Cange v. exordinare.

L. II. ep. 57 (M. 170 C.). „Deceret tamen vos matrem vestram, Fesulanam videlicet ecclesiam, quae non peccavit, immunem custodire et vindictam peccantis detrimentum confusionemque minime convertere; deceret etiam, ut, quos miserabilis paupertas et ruina ecclesiae vestrae compatiendo non tangit, verecundia saeculi et infirmata et omnino contemtui habita quaestio vestra silentium imponere debuisset.“ Editores post „peccantis“ addiderunt *in,* sed adiiciamus necesse est *in ecclesiae.* Pro „infirmata“ *infamata* haud dubie scribendum.

L. II. ep. 58 (M. 171 A.). „Quapropter suffraganeum tuum Noviomensem episcopum per te conveniendum esse censuimus et de tanta perversitate, si ita esse constiterit, severius increpandum ac subinde admonendum, immo etiam compellendum, ut canonum statuta sequendo ecclesiam Traiectensem, quae tanto tempore possedit sua expoliatione, sine mora reinducat.“ *Ante suam expoliationem* coniicio ad ea respiciens, quae initio litterarum enarrata sunt.

L. II. ep. 67 (M. 177 B.). „Sed ut ea, quae dilectioni tuae iniungimus, compendiosius efficaciusque prosequaris, cum fratribus et coepiscopis tuis concilium te cogere suademus, in quo, quam maximo poteris clericorum coetu congregato, leges canonicas et sedis apostolicae auctoritatem

Digitized by Google

tuamque et confratrum omnium patenter promulgabis." Corrige: *auctoritate tuaque*, omnia recte se habebunt.

L. II. ep. 73 (M. 183 C.). „XII. Kalendas Maii." Sic codex Vaticanus. Sed epistola scripta est *XV. Kalendas Maii.* Cf. epistolam subsequentem. Caraffa omnesque editores: „VII. Kal.", quod non aliis praesidiis, sed negligentiae primi typographi aut amanuensis Caraffae tribuendum est.

L. III. ep. 7 (M. 192 D.). „Sed quia desideramus non solum vobiscum, quem Deus in summo rerum posuit culmine, sed etiam cum omnibus hominibus pacem, quae in Christo est, habere iusque suum unicuique observare, cupimus summopere corde et animo adhaerere." Manifesto post „summopere" excidit aliquid, fortasse *honori vestro*; quamquam etiam *regno*, *commodo vestro*, alia ferri possunt.

Eodem loco. „Quapropter bonam concepi fortunam, quia hanc nostram, immo totius ecclesiae causam, religiosis hominibus coepisti committere, qui nos, non nostra iniuste, diligunt et, ut christiana instauretur religio, suam intentionem requirunt." Harduinus coniecit: „solam intentionem." Sed ne sic quidem omnia apte quadrant. „Sincera intentione" scribendum videtur.

L. III. ep. 8 (M. 193 E.). „Nam de illo quid dicendum nobis est, qui, dum honorem eiusdem sedis nefandis affectaret desideriis, quod iustitia sibi denegavit, sacrilega vi et armis invadere ac diripere non pepercit, quem ambitionis culpa, quam deserere noluit, usque ad iustam dampnationis tuae perniciem traxit? „Dampnationis *suae* scripsit Gregorius de Godefrido agens, non de Tedaldo.

L. III. ep. 9 (M. 194 E.). „Notum vobis esse de Tedaldo Mediolanensi clerico." Sic Vaticanus. Caraffa addidit post „vobis": volumus; malim *credimus.*

Eodem loco (M. 195 A.). „Quod cum per quosdam fideles nostros nostram requireret amicitiam." *Qui* corrige.

L. III. ep. 10 (M. 196 D.). „Quapropter providendum

Digitized by Google

esset tuae celsitudini, ne erga sedem apostolicam in verbis et legationibus tuis aliqua inveniretur discrepantia voluntatis, et in his, per quae christiana fides et status ecclesiae ad aeternam salutem maxime proficit, non nobis, sed Deo omnipotenti debitam non denegares reverentiam, quamquam apostolis eorumque successoribus Dominus dicere dignatus sit: Qui vos audit, me audit etc." „Quamquam" vix stare potest, *quoniam* in hanc sententiam convenit.

L. III. ep. 12 (M. 199 B.). „Litteras apostolicae sedis ideo vobis dirigendas esse censuimus, quia scismaticorum, qui contra Deum et auctoritatem sanctae Romanae ecclesiae se erexerunt, non sponte vos consensisse intelleximus." Haec est lectio Vaticani. Editores post Caraffam emendarunt: „schismaticis". Sed excidit *consiliis* vel simile aliquid.

L. III. ep. 16 (M. 202 B.). „Sed ipse, huius mansuetudinis et tantae caritatis oblitus, fructum inoboedientiae matris suae Romanae ecclesiae dicitur reddidisse, privilegium venerandae memoriae antecessoris nostri papae Alexandri confringendo et excommunicato a nobis Evrardo impudenter communicando et non solum ipsam decaniam, sed fere omnia ecclesiae ministeria symoniace vendendo, a Deo suspensam ut olim apostolicae sedis sententiam operum suorum nequitia merito videatur in se provocasse." Locus vitiosus. Omnia vero optime concinent, si pro „a Deo suspensam ut" scripseris *adeo ut suspensam.* Praeterea *matri* initio emendandum est.

L. IV. ep. 6 (M. 214 A.). „Quod si nullo scismate." *in illo*, non „nullo" scribendum esse, ex ipsa epistola patet.

L. IV. ep. 15 (M. 221 C.). „Adimplere contempserit." Corrige *contempserint.*

L. IV. ep. 18 (M. 224 A.). „Quapropter apostolica auctoritate praecipimus vobis, ut colla vestra de sub iugo eius excutientes, ne illi adhaerentes diabolo, cuius membrum ipse

Digitized by Google

factus est, serviatis.“ Scribendum puto: colla vestra *relevetis*, *iugum* eius excutientes.

L. V. ep. 4 (M. 239 A.). „Misimus ad vos fratrem nostrum Landulfum Pisanae ecclesiae in episcopum.“ Sic Vaticanus. Editores omnes lectionem in hunc modum male mutaverunt: „fratrem vestrum Landulphum Pisanae ecclesiae episcopum.“ Nam et restituendum est „nostrum“ et pro „in“ scribendum *electum*. Cf. L. V. ep. 2: „misimus ad vos hunc fratrem nostrum Landulfum Pisanae ecclesiae electum episcopum.“

L. V. ep. 14 (M. 247 E.). „Nostram diffinitivam sententiam, ne facere aliquid super hoc negotio praecipitanter et inordinate videremur, quoadusque vobis aut nuncium seu litteras nostras, per quod omnia eiusdem negotii acta plenius cognoscamus, suspendere dignum duximus.“ Omissum est post „nostras“ *mittamus;* quo adiecto, in nulla re offendimus. Caraffa vero omnia novavit, cum in hunc modum locum typis excudendum curaret „quoadusque nobis aut nuncium seu litteras vestras mittatis, per quas“ etc.

L. VI. ep. 1 (M. 256 D.). „Sed quia pervenit ad nos, quod inimici Dei et filii diaboli quidam apud vos contra interdictum apostolicae sedis praedictum conventum procurent in irritum ducere et non iustitia, sed superbia ac totius regni desolatione suas cupiditates anhelent implere et christianam religionem destruere, monemus vos“ etc. — „ac totius regni desolatione“ Gregorius, quod equidem video, scribere non potuit. Verba mea sententia sic emendanda sunt: *ad* totius regni *desolationem.*

L. VI. ep. 4 (M. 260 A.). „Lectis fraternitatis tuae litteris non parum mirati sumus, non ea te qua decuit apostolicam sedem pro reverentia sibi scripsisse, sed nos“ etc. Sic Vaticanus, quem omnes editores sine ulla dubitatione sequuti sunt. Desunt vero post „decuit“ plura verba: *modestia erga* vel similia.

Digitized by Google

L. VI. ep. 28 (M. 278 B.). „Miramur temeritatem et insolentiam praesumptionis vestrae, quod contra fas et excommunicationem apostolicam vobis delatam, abbatiam Dolensem, quam in tutelam hactenus habuistis, immo etiam ad cumulum detrimenti tam animarum vestrarum quam corporum, abiecto eo, quem propriis manibus Deo volente vobis in abbatem consecravimus, Gualterium invasorem inrecuperabiliter deposuimus.“ Aliquid excidisse post „habuistis“, iam Caraffa notavit. *Vi invasistis* vel alia similia supplenda esse, manifestum est. Sed ne sic quidem locus sanatus est. Aliam enim praetermissionem post „invasorem“ deprehendo. Supplere lacunam his verbis posse mihi videor: „*recepistis, quem* inrecuperabiliter“ etc.

L. VI. ep. 32 (M. 281 A.). „Pervenit ad aures nostras, quod bona Rorgonis de Coequo, quae mortuo ipso in potestatem germani, scilicet Ugonis nostri fidelis et filii, iure debent concedere, Ugo Delezini a quo iniuste praesumpsit invadere.“ Sic Vaticanus. Caraffa „a quo“ omisit. Harduinus ingeniose coniiciendo: „de Leziniaco“ prope ad veram lectionem accessit. Scriptum enim erat in archetypo *de Lersiniaquo*. Cf. infra „memoratum Lerziniacensem“ (sic scriptum est in Vaticano, non „Leziniacensem“). *Qu* et *c* saepe in codice nostro permutata sunt.

L. VI. ep. 35 (M. 283 D.). „Provinciae autem multo ante Christi adventum tempore divisae sunt maxima ex parte, et postea ab apostolis et beato Clemente praedecessore nostro ipsa divisio est renovata, et in capite provinciarum — ubi dudum primates legis erant saeculi ac prima iudicaria potestas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam imperatorum vel regum confugere non poterant vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel iniustitiis suis ipsosque appellabant, quotiens opus erat, sicut in lege eorum praeceptum erat — ipsis quoque civitatibus vel locis cele-

Digitized by Google

brioribus patriarchas vel primates (qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina) leges divinae et ecclesiasticae poni et esse iusserunt, ad quos episcopi, si necesse fuerit, confugerent" etc. Locus valde notabilis mirum in modum perturbatus est, cum editores verba non intellecta perperam distinguerent. Una littera mutata omnia optime se habent. Pro „leges divinae" scribendum est *legis divinae.* Primates legis divinae Gregorius opponit primatibus legis saeculi, et ipsos apostolos cum Clemente fuisse contendit, qui olim illos primates legis divinae institui iuberent.

L. VII. ep. 2 (M. 289 D.). „Eos ab ordinibus et praebendis ecclesiae sancti Martini in perpetuum submovemus et decernimus, ita ut nullum deinceps inter canonicos eiusdem ecclesiae locum teneant." Pro „decernimus" *secernimus* scribendum est.

L. VII. ep. 6 (M. 292 E.). „Ex more sanctorum misimus vobis claviculam auream." Gregorius fortasse scripsit: „ex more sanctorum *praedecessorum nostrorum*" etc.

L. VII. ep. 10 (M. 295 C.). „De poenitentiae consultatione diligentius pertractetur." Lectio est Codicis Vaticani, sed vix ferri potest. Nescio an corrigendum sit: „poenitentiae *consuetudine*".

L. VII. ep. 11 (M. 296 A.). „Huius modi salutationis nostrae consuetudinem, scilicet apostolicae benedictionis, eam tibi mittentes non sine haesitatione modo servavimus." „Eam" a Gregorio scriptum fuisse, vix mihi persuadeo, malim: *epistolam* vel *litteras.*

Eodem loco (M. 296 B.). „Quicunque enim bona ecclesiarum invadunt, id est sine certa licentia episcoporum vel abbatum diripiunt vel ab aliqua persona accipiunt, non solum ab apostolica sede hoc tempore, verum etiam a multis sanctis patribus, sicut in scripturis eorum repperimus." Plura excidisse, manifestum est. In hunc fere modum locus

Digitized by Google

restitui potest: a multis sanctis patribus *olim pro excommunicatis habebantur.*

Eodem loco (M. 297 A.). „Ex hoc nempe saepe volventibus“ etc. Malim: „ex hoc nempe, *quod nobis* saepe volventibus.“

L. VII. ep. 17 (M. 302 A.). „Nos itaque iuxta fratrum nostrorum consensum atque consilium, quod supra liberatum est, confirmantes, mandamus vobis atque praecipimus.“ „Liberatum“ ad fidem codicis Vaticani Caraffa, posteriores editores correxerunt „deliberatum“. Sed *libatum* scribendum est.

L. VII. ep. 19 (M. 303 A.). „Clamor abbatis Aureliacensis coenobii, quod proprii iuris beati Petri concessione fundatoris, scilicet beati Giraldi, esse dinoscitur, auribus nostris insonuit, videlicet super quibusdam personis, qui iniuste detinent beneficia praedicti monasterii apud a praedecessoribus suis sub fidelitate et hominio pro defensione ecclesiae suae sibi et suis antecessoribus olim concessa.“ Caraffa omisit „apud“; quo restituto adiiciendum est *se.*

L. VII. ep. 23 (M. 306 E.). „Non solum autem, sed et in hoc mundo tibi et heredibus tuis victoria, honor, potentia, sublimitas amplius coelitus tribuetur.“ Sic Vaticanus omnesque editores, lacuna nusquam notata. Sed post „autem“ exciderunt: *in coelo gloriaberis* vel alia eiusmodi verba.

L. VII. ep. 26 (M. 309 E.). „Haec et his similia a te munera optamus; ut integra et simplici diligas, nobilitatem tuam precamur, dilecta obtineas, habita nunquam derelinquas.“ Hanc Vaticani lectionem Caraffa retinuit, posteriores editores pro „simplici“ correxerunt „simplicia“. Verba depravarunt, non emendarunt. Gregorius enim Mathildem hortatur, ut virtutes diligat, quas ante commendavit. Scribendum est „simplici *mente*“.

Digitized by Google

L. VIII. ep. 5 (M. 319 A.). „Cicani.“ *Ciperani* coniicio. Cf. L. VIIII. ep. 2.

Conc. Roman. VI. (M. 523 D.). „Maxima siquidem pars panem et vinum per sacrae orationis verba et sacerdotis consecrationem, spiritu sancto invisibiliter operante, converti substantialiter in corpus Dominicum de virgine natum, quod et in cruce pependit, et in sanguinem, qui de eius latere militis effusus est lancea, asserebat atque rationibus tam Grecis quam Latinis[5]) modis omnibus defendebat; quidam vero, caecitate nimia et longa perculsi, figura tantum [quae substantiale illud corpus in dextera patris sedens esse], se aliosque decipientes, quibusdam cavillationibus conabantur astruere.“ Locus ad causam Berengarii spectans manifesto corruptus est. Verba, quae uncis inclusimus, in codice Vaticano expuncta sunt. Sed quamquam librarius quidam ea deleri voluit, tamen restituenda atque in hunc fere modum emendanda esse arbitror: „quidam vero, caecitate nimia et longa perculsi, figura tantum („converti“ subaudias), *atque* substantiale illud corpus in dextera patris sedens esse, se aliosque decipientes, quibusdam cavillationibus conabantur astruere.“ Caraffa meo iudicio sententiam pervertit magis quam constituit sic scribendo: „figuram tantum substantiale illud corpus in dextra patris sedens esse, seque et alios decipientes“ etc.

V.

Iam satis de antiquissimi codicis Vaticani et praestantia et vitiis dixisse mihi videor, neque amplius quisquam

5) In margine codicis Vaticani haec leguntur: „auctoritatibus orthodoxorum sanctorum patrum tam Grecorum quam Latinorum“, quae a Caraffa recepta in omnes editiones transierunt.

Digitized by Google

libri auctoritatem tanti faciet, opinor, ut non alia quoque praesidia, si modo explorari potuerint, adhibenda esse censeat. Verumtamen, si quis ex iis exemplis, quae praeter Vaticanum per Italiam in tabulariis et bibliothecis hic atque illic habentur, magnum fructum expectaverit, periculum est, ne expectatio eius vehementer decipiatur. Nam quotquot in Italia a me investigari poterant [1]), fluxerunt omnes ex ipso codice saepe laudato, neque antiquitate aut ulla alia re excellunt. Quamobrem codicis Vaticani lectione cognita, iam parvi interest adnotare, quoties illa exempla cum eo conveniant, quoties ab eo recedant. Fide certe atque auctoritate cum archetypo suo nullo pacto conferri possunt.

De codice Mutinensi, quamquam non ex ipso Vaticano fluxit, vix aliter iudicandum erit. Descriptus est procul dubio ex codice vetusto, qui olim monasterii Clarevallensis fuit, nunc in bibliotheca Trecensi servatur [2]). Nihil enim Zachariae iudicio singulare habet [3]) praeter epistolam unam a Bertramno comite Arelatensi ad Gregorium datam, quam Mansius (XX. c. 363. 364) excudendam curavit. Eandem vero epistolam ex Clarevallensi codice excerptam Stephanus Baluzius iam dudum in Miscellaneis (VII. p. 128) publici iuris fecerat, et collata Mansiana lectione cum Baluziana

---

1) Praeter laudatum codicem tabularii Vaticani, octo per Italiam iter faciens ipse inspexi: alterum exemplum tabularii Vaticani, quinque in bibliotheca Vaticana (Codd. 3797. 4579. 4906. 4907. 5638), unum Vallicellianum (Cod. C. 17), Venetiis unum in bibliotheca sancti Marci (App. Cl. III. 19). Omnes hi libri recentioris sunt aetatis, non ante saec. XVI. vel XVII. confecti.

2) Nr. 952. Cf. Catalogue général des manuscrits publiques des départements publié sous les auspices du ministre de l'instruction publique. Paris 1856. T. II. p. 392.

3) Quae ad calcem ep. 12 libri III. Mansius tanquam nova ex Mutinensi communicavit, totidem verbis sub finem epist. 9 eiusdem libri leguntur.

Digitized by Google

luce clarius apparet, codicem, quo ille utebatur, nihil aliud fuisse quam vitiosum apographum Clarevallensis. Itaque Mutinensem, qui ante saeculum XVI. confectus non est, tanti aestimare non possum, quanti Mansius fecit; praesertim cum comparatis lectionibus eius cum Vaticanis persuasissimum habeam, et ipsum Clarevallensem, quem descripsit, ex Vaticano originem ducere. Quamobrem ne ex hoc quidem magnum fructum ad Registrum emendandum expectem. Tanta autem antiquitate Clarevallensis excellit — iam saeculo XII. exaratus esse dicitur —, ut magna me cupiditate flagrare confitear certiora cognoscendi de eius habitu et conditione neque gratius mihi fieri posse, quam si quis ex viris doctissimis, quibus facilis aditus bibliothecae Trecensis pateat, me de his rebus certiorem facere voluerit. Neque vero in Mutinensi neque in aliis codicibus recentioris aetatis moror. Persuasum enim mihi est, operam et oleum perdere, qui hos libros accuratius perscrutari statuerit, cum parvam vel nullam utilitatem afferre possint ad verba Gregorii restituenda.

Restat denique aliud genus praesidii, quod non negligendum videtur, quamvis caute adhibeamus oporteat. Iam enim saeculo XI. exeunte et subsequentibus temporibus Registrum adhibitum est a scriptoribus quibusdam, qui melioribus exemplis, quam quae nunc habemus, usi esse videntur. Ex eo numero est Deusdedit cardinalis Romanus, qui ad collectionem canonum conficiendam haud raro Gregorianas epistolas adiit, est Hugo Flaviniacensis, qui in chronico Virdunensi plurima ex Registro ad litteram descripsit, est qui librum pontificalem continuavit (Pandulfus), tum Ulricus, compositor codicis epistolaris Bambergensis, Paulus denique Bernriedensis, qui praecipue Registrum secutus commentarios suos de rebus gestis Gregorii VII. scripsit. Hugonis chronicon ex autographo Pertzius summa cura edidit (Mon. Germ. Script. VIII. p. 288 — 502); ceterorum operum, quae laudavimus,

Digitized by Google

optimi codices[4]) in bibliothecis exstant, ut de vera et genuina lectione eorum raro scrupulus resideat. Haud igitur abs re erit etiam haec praesidia adhibere, ubi de recta lectione Registri alia ratione certi quidquam statui nequierit. Equidem satis habeo tribus vel quatuor exemplis ostendere, qui fructus ad emendandum Registrum hac via percipi possit.

L. II. ep. 70 (M. 180 C.). „Dominus autem iniuriam suo illata principi praevidens, potestatem regni suo ad te iudicio transtulit. Et ita, si quid in obtinendo regno iuris prius habuit, a se sacrilega usurpatione privavit.“ Sic locus manifesto corruptus in codice Vaticano. Pro „illata“ correxit Caraffa *illatam*, id quod Deusdedit agnoscit, qui insuper post „ita“ bene addit: *consanguineus tuus*. Pro „a se“ Caraffa suo iure: *eo se* emendavit. Iam totus locus restitui potest. Sic enim scripsit Gregorius: „Dominus autem iniuriam suo illatam principi Petro videns, potestatem regni suo ad te iudicio transtulit. Et ita consanguineus tuus, si quid in obtinendo regno iuris prius habuit, eo se sacrilega usurpatione privavit.“

L. IV. ep. 1 (M. 207 A.). „Nam vestra fraternitas minime ignorat, quanto tempore sancta ecclesia inauditas pravitates et diversas iniquitates regis — et utinam christiani et vestri — sustinuit.“ Haec est lectio Vaticani. Sed „vestri“ stare nequit, quamquam Hugo Flaviniacensis (l. l. p. 441) assentiri videtur. Scribendum est *veri* cum continuatore libri pontificalis.

L. VIII. ep. 21 (M. 333 E.). „Nota ergo, carissime, si

4) Collectionis Deusdedit cardinalis antiquissimum exemplar habetur in bibliotheca Vaticana (No. 3833), continuationis libri pontificalis in eadem bibliotheca (No. 1437), codicis epistolaris Bambergensis in bibliotheca caesarea Vindobonensi (Iur. can. No. 45). Pauli Bernriedensis opus in pluribus libris antiquis bibliothecae Vindobonensis invenitur (Hist. eccles. No. 5. S. Cruç. No. 12).

Digitized by Google

eum, quem amicitia vel colloquio iis, quibus pro actibus suis aversus est, sociatur, tam graviter iudicat, quanto illum ipsum, cui pro actibus suis aversus est, animadversione dampnat!" Pro „quem" Hugo Flaviniacensis (l. l. 455) habet *qui*, quod Harduinus iamdudum coniectura assecutus erat.

Concilium Romanum VI. (M. 525 A.). „Conquesti sunt legati regis Rodulfi super Heinrico, quod nulli loco nullique personae parcens religionem transalpinam contereret et conculcaret." In continuatione libri pontificalis „*regionem* transalpinam" legitur, quod sine ulla dubitatione nemo non praeferet.

Brunsvigae, typis M. Bruhnii.

Digitized by Google

Digitized by Google

eum, quem amicitia vel colloquio iis, quibus pro actibus suis aversus est, sociatur, tam graviter iudicat, quanto illum ipsum, cui pro actibus suis aversus est, animadversione dampnat!" Pro „quem" Hugo Flaviniacensis (l. l. 455) habet *qui*, quod Harduinus iamdudum coniectura assecutus erat.

Concilium Romanum VI. (M. 525 A.). „Conquesti sunt legati regis Rodulfi super Heinrico, quod nulli loco nullique personae parcens religionem transalpinam contereret et conculcaret." In continuatione libri pontificalis „*regionem* transalpinam" legitur, quod sine ulla dubitatione nemo non praeferet.

Brunsvigae, typis M. Bruhnii.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

STALL-STUDY
CHARGE

CANCELLED

Digitized by Google

C 61.73.10
De Gregorii VII registro emendando.
Widener Library 003195232
3 2044 081 701 179

Digitized by Google